



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Adolescens sine obedientia. tit. 276

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

ratus, Lucæ, 2. & vidua. 84. annorum: Eleazarus, qui noluit comedere carnes contra morem Iudæorum, 2. Machabæor. 6. At mali senes & lasciuu notantur Daniel. 13. à senioribus egressa est iniquitas, de talibus dicitur Esaiæ 65. Maledictus puer centum annorum atque peccator, & cætera. Ideò petijt Dauid Psalm. 70. Ne proijcias me in tempore senectutis, & cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

*ADOLESCENS SINE  
obedientia.*

## TITVLVS CCLXXVII.

**A**POSTOLVS 2. Timoth. 3. inquit, quod in nouissimis diebus in stabūt tēpora periculosa, & erunt tunc homines seipso amantes & cæt. & memorat ibidē, quòd tunc erunt adolescentes sine obedientia parentū. Nam inquit, Parentibus inobedientes: & communiter ex illis fiunt fornicatores, lusores, fures, homicidæ, mundi & sathanæ martyres & pondera patibuli. Odiuit Cain fratrem, Gen. 4. & fit homicida. Derisit Cham patrem suum, Genes. 9. & maledicitur. Absalon persequitur patrem, & seipsum suspendit, 2 Reg. . 18. Inobedientia ergo filiorū erga parentes, non relinquetur à Deo inulta. Exod. 20. Honora patrē & matrem, vt sis longæuus super terram.

Secundò, docuit Tobias filium timere Deum, honorare parentes eisq̄e obedire, fugere fornicationem, elemosynam dare pauperibus, præmium dare mercenarijs, & Deum petere, vt vias suas dirigat, Hæc sunt opera, quæ docere debent parentes filios, non illis blandiri ad pompam mundi, diuitias, atque peccata. Sic mulier saluabitur per generationem filiorum, si permanferit in fide & dilectione & sanctificatione & sobrietate, 1. Timot. 2. Sic reuelant Angeli

QQQ 2 gcli



geli Abrahæ subuersionem Sodomorum. Genes. 18. ideo quia docturus erat filios suos timere Deum. &c. Est enim bonum signum pij hominis futuri, prompta adolescentis obedientia erga parentes & superiores. Ruina quoque futurę Ecclesię & Christianismi, inobedientia adolescentiæ.

Tertiò, Apostolus 1. Cor. 15. dicit, Per inobedientiam vnus nos omnes esse damnatos, & per vnus obedientiam nos omnes saluatos, &c. origo ergo omnis mali est inobedientia, sicut dicit Gregorius, libro 31. Moralium. Sola, inquit, obedientia virtus est, quæ cæteras virtutes menti inserit, & insitas custodit. Sic Isaac adolescens obediuit patri vsque ad mortem Genes. 23. magnus fit Patriarcha: obediuit Joseph patri, visitans fratres, venditur Ismaelitis. Sed fit dominus Aegypti, Genes. 37. obediuit Christus puer 12. annorum, Lucae, 2.

Ex inobedientia filij fit grande peccatum erga Deum & parentes, At aliquando talis inobedientia venit ex negligentia parentum, sicut scribit Boethius de disciplina scholarum, quòd quidam pater sæpè & toties redemit filium à patibulo, quod tandem amplius noluit eum redimere: tunc finaliter cū debuit suispendi, petijt malitiosè osculum à patre, & amputauit patri nasum, dicens: Hoc, quod patior, à te habeo, quia in iuuentute me non verberasti, & Gregor. 4. Dialogorum de iuuenē quinque annorum, quem, cū blalphemaret parentes & Deum, statim diabolus strangulauit, qui puer licet esset paruus in annis, factus tamen est magnus filius gehennæ, &c. Sunt multi mali filij, qui ex parentibus suis faciunt martyres, sicut dicit Salomon Prou. 19. Dolor patris, filius stultus.

*DIUES SINE ELEEMOSYNA.*

TITVLVS CCLXXVII.

PRIMO,